



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum Vltimvm. Si quis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

pecunia res aliqua alieno nomine comparata sit, utilem illi vindicationem concedi; & videri potest ibi *Gl. marginalis*, & *Tiraqueellus privilegio 105. p. causa. Gl. & Abb. hic n. 5.* At verò, si alius quispiam, etiam procurator, vel administrator, ex pecunijs tuis, cujus v. g. bona administrat, quidpiam emat suo nomine, id ementis efficitur. Quare contra ipsum agere debet ad pecunias tuas recuperandas. *L. si ex ea 6. C. de rei vindicatione. L. 1. C. si quis alteri vel sibi. L. si parricus 4. C. gratia utriusque.*

Notandum secundum. Si Prælatum ex redditibus Ecclesiasticis rem emptam tantum suam retineat veluti sacrilegium committit juxta id, quod dixi in *o. 2. not. 2. hoc sit.* & habetur etiam in *c. 1. causa 11. q. 2.*

CAPITULUM VLTIMUM.

Si quis.

PARAPHRASIS.

Si aliquis Clericorum in terra Ecclesiæ vineas, vel agros, meliorando fundum, fecerit, vitæ suæ sustentandæ causâ, eas meliorationes usque ad diem obitûs possideat, sed postea Ecclesiæ restituat; non autem seu jure testamenti, seu successio- nis ab intestato, hæredibus relinquere possit; nisi forsân Episcopus alicui pro servitijs Ecclesiæ præstitis eas largiri vo- luerit.

SUMMARIUM.

Beneficiarius potest terram sui benefi- cij meliorare.

2. Ad quem meliorationes tales perti- neant?

Notandum primum. Ecclesiæ Rector, aliisque beneficiarius terram sui benefi- cij meliorare potest v. g. ex prato agrum, ex terra sylvestri vineam efficiendo; sed meliorationes Ecclesiæ cedunt ita, ut de ijs beneficiarius disponere non possit alienando, aut mortis causa relinquendo, sed neque impendia repetere, si ex Ecclesiasti- cis redditibus excoluit, prout *Abbas hic docet n. 2.* bene admonens, secus esse, si ex patrimonialibus, seu proprijs bonis excoluit, tum ipse, vel hæredes ejus (nisi ostendatur donandi animo meliorasse) repetere possunt meliorationum, seu impendiorum æstimationem, prout colligitur ex *o. 2. junctâ Gl. causa 12. q. 4.* & docuit hic *Barbosa, & Paulus Comitulus in responsionibus moralibus tom. 1. q. 82. in fine.*

Notandum secundum. Si beneficiarius in fundo Ecclesiæ, aut benefi- cij sui quidpiam ædificavit, vel meliorando excoluit ex redditibus Ecclesiasticis, eas meliorationes habere potest, dum vivit, postea verò Ecclesiæ, vel beneficio relinquere debet. Id verò extendunt aliqui apud *Innoc. hic & Abb. n. 4.* tamen beneficiarius ob crimen amoveatur, meliorationes ipsi esse relinquendas, *argum. c. ad aures 7. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Verum ex *eo cap. & hujus cap. textu* plus non colligitur, quàm quòd Episcopus possit beneficiario in remunerationem relinquere meliorationes, vel impendiorum æstimationem eidem solvere; imò æquum esse, ut ipsi relinquatur, nisi gravitas delicti aliud postulare videatur.

